



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum III. Indicatum est.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

*Clerici quando teneantur ad defensionem civitatis contra hostes?*


**N**Otandum. Quòd textus hujus Capituli non quidem clarè & apertè de Clericis loquatur, quos à murorum Civitatis custodia etiam contra pyratas maritimas eximit *cap. reprehensibile 19. canf. 23 q. 8.* quia militum Christi est, ut dicunt hic jura, Christo servire, & militum sæculi, sæculo servire. Et in *cap. non minus quarto h. t.* generaliter pronuntiantur Clerici ab oneribus publicis immunes, ut ne avocentur à divinis officiis: rectè tamen ex verborum generalitate, ex communi doctrina de privilegij cessatione, ubi gravis & non vulgaris necessitas urget, inferunt alij, neque Clericos in tali necessitate extraordinaria, à muris civitatis contra hostes tuendis excusari; non quidem, quasi per sæcularem jussionem ad hoc compelli possint, sed per Episcopum suum, & sine detrimento divini cultus, cui relata in contrarium jura cavere volunt.

## CAPITULUM III.

## Indicatum est.

## PARAPHRASIS.

Rescivit Pontifex rusticos quosdam sive colonos (adscriptitios Ecclesiæ, terræ hujus colendæ sive glebæ perpetuò obligatos, de his enim *cap. h. loquitur*) rura Ecclesiæ, quibus colendis obligati sunt, deserere, & privatorum aliorum possessiones colere; tolerandum proinde hoc non esse deinceps, nec permittendum in *cap. statuit*. Textus clarus est, & ubi tales adscriptitij Ecclesiæ coloni reperiuntur, observandus.



## Non minus.

## PARAPHRASIS.

Gravibus verbis conqueritur in *h. cap.* Alexander III. Pontifex in Concilio Laterano, contra insolentias Laicorum quorundam Magistratum, qui Clericos & Ecclesias tot oneribus & exactionibus vexant, ut deterioris conditionis factum sit hodie Christianæ legis Sacerdotium, quàm fuerit olim profanum Sacerdotium sub Pharaone, qui quamvis nullam divinæ Legis notitiam habuerit, suos tamè sacrificulos gentiles, suæ libertati, in publica etiam famis necessitate reliquit: & rectissimè cum Jeremia Propheta lamentari possimus, quòd princeps Provinciarum facta sit sub tributo, dum universa propè onera, ad quamlibet necessitatem expediendam Ecclesiarum & Clericorum bonis imponunt, cum ingenti jurisdictionis laicæ, quæ ad bona Ecclesiastica se non extendit, abusu, & Ecclesiasticæ potestatis imminutione. Prohibet proinde Pontifex, ne in posterum hæc talia fiant, sub excommunicationis pœnâ, tam ab eis Laicis, qui talia onera imponunt, incurrendæ, quàm ab horum fautoribus; nisi Episcopus & Clerus tanta necessitatem, vel utilitatem aspexerint, cui relevandæ Laicorum facultates non sufficiunt, quo in casu per Episcopum subsidia Ecclesiarum etiam conqueri poterunt.

## SUMMARIUM.

1. *Clericorum & Ecclesiarum immunitas ab importunis Laicorum Magistratum exactionibus, non tantum in utroque jure positivo, sed in jure etiam naturali fundatur.*
2. *Quid fieri debeat circa tales exactiones, sine necessitas, vel boni publici utilitas*

Xxx ;

litas